



Disputatio juridica inauguralis de nuptiis

<https://hdl.handle.net/1874/345192>

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
N U P T I I S.

QUAM
SUB AUSPICIO SUMMI NUMINIS
Auctoritate Magnifici D. Rectoris,
JACOBI VALLAN,

M.D. Praxeos & Institut. Medicinæ Professoris Ordinarii,
NEC NON

*Amplissimi Senatus Academicus consensu, Nobilissimeque
Facultatis JURIDICÆ Decretō,*

PRO GRADU DOCTORATUS.

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitimè consequendis,

Eruditorum examini subjicit

JOAN TEDINGH VAN BERCKHOUT, Monachod.Bat.

Ad diem 21. Novemb. horâ locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academici
Typographi, clc lcc xci.

DISPUTATIONE JURIDICAE
IN UNIVERSITATE VENETIÆ

LIBRI V

IANUARIA TUDORUM

IN EDITIONE QUARTA 14. JULII 1614. M.DC.XV.

PRO CERDICO DOCTORATUS

AT THE UNIVERSITY OF LIVERPOOL

BY JOHN PERRING, M.A. HON. M. B. B.S.

PRINTED FOR THE AUTHOR BY JAMES COOPER

JOHN PERINING, LIV. PERIODICALS LIBRARIUS



PRINTED FOR THE AUTHOR BY JAMES COOPER

AT OFFICES FRAUNHOFER HALL, AACHEN

TYPGRAPHIÆ, CL. I.O.C. EX.

*Nobilissimis Amplissimisque VIRIS
ac Dominis,*

D. GERBRANDO TEDINGH
van BERCKHOUT,

J. U. D. Reipub. Monachodamensis Senatori, atque Exconsuli, in Collegio Architalassico Boreali Deputato, ejusdemque civitatis tributorum Exactori, nec non in confessu Collegii Indiæ Occidentalis Noorthollandiæ Assessori, Patri suo omni honore, atque amore prosequendo.

D. JOANNI TEDINGH
van BERCKHOUT,

Olim in Collegio Consiliariorum deputatorum ab Ordinibus Hollandiæ Westfrisiæque Deputato, nunc autem Domaniorum agri Voornani Quæstori Generali, nec non Reipub. Brielæ Senatori atque Exconsuli, Patri suo omni obsequio in æternum colendo.

D. JOANNI TEDINGH
van BERCKHOUT,

J. U. D. Sacri Imperii Romani Equiti Banneret, Domino de Sleydrecht, Prætori, atque Reipub. Monachodamensis Consuli, ejusdemque Reipub. in Collegio Ordinum Hollandiæ Deputato, Baillivo, Aggerumque Waterlandiæ Catwoudæ, Jusulæque Marchenkis Præfecto &c. Cognato suo plurimum venerando.

A 2 JOAN TEDINGH van BERCKHOUT. D. JO-

D. JOHANNI van MUYDEN,
J. U. D. Et Jurisprud. Professori Celeberrimo, Pro-
motori venerando.

NEC NON

*Sagacissimo experientissimoque VIRO
ac Domino,*

D. ANDREÆ FEITH,
J. U. D. Accademiae Gelro Zutphanicæ, quæ
est Hardervici, Secretario, ac studiorum suorum
Promotori indefesso.

D. JOANNE TEDINGH

aus BERCKHOUT,

*Hanc Disputationem inaugu-
ralem. D. D. D.*

JOAN TEDINGH van BERCKHOUT.

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS.
DE
N U P T I I S.
T H E S I S. I.



Uia sponsalia honestatis causa Nuptias præcedere solent, non indigne Nuptiarum tractatum à sponsalibus auspicor. Dicta itaque sunt sponsalia à spondendo; nam moris fuit veteribus stipulari & spondere sibi uxores futuras l. 2 ff. de spons. Unde sponsi sponsæque appellatio nata est l. 3. eod. Definiuntur quod. sunt mentio ac re promissio futurarum Nuptiarum l. 1. eod.

I I.

Ait Juris Consultus *futurarum nuptiarum*, quia unum tantum genus est sponsaliorum, mutua sc. re promissio de futuris nuptiis, quamvis Canones duo genera constituant, unum eorum, quæ de futuro appellant, alterum eorum, quæ de præsenti. Hanc tamen distinctionem Autores juris nostri non agnoscent, quibus sponsalia de præsenti sunt ipsum matrimonium jam mutuo consensu contractum l. 30. ff. de R. I. quam materiam tractare decrevi.

I I I.

Nuptiæ igitur sive matrimonium pro uno ac eodem fere

A 3 usurpan-

6 A O I DISPUTATIO JURIDICA

usurpantur, saepe tamen per Nuptias intelligimus festivitatem & celebritatem nuptialis diei. *l. 66. ff. de don. int. vir. & uxor. l. 24. C. de Nupt.*

I V.

Dictæ sunt Nuptiæ à nubendo; quia novæ nuptiæ pudoris gratia caput flammæ obnubere & velare solebant; significantes verecundiam in Nuptiis præire debere. Hinc Cicero pro *Cluentio* ait. Nuptias plenas dignitatis, plenas concordiæ ac pudoris. Hinc etiam nubere proprie de mulieribus dicitur. Matrimonium à matris nomine dictum est; ex eo quod fæmina ob id potissimum nubere debet, ut mater fiat.

V.

Definiuntur Nuptiæ sive matrimonium viri & mulieris conjunctio, individuam vitæ consuetudinem continens §. *i. Instit. de patr. potest*: dicitur *viri & mulieris*: nam duorum ejusdem sexus conjunctio detestanda est, & lege Dei, Naturæ, ac legibus omnium gentium damnata, utiturque singulari numero ad excludendam polygamiam simultaneam.

V I.

Per *Coujunctionem*, non tam corporum commixtionem, quam animorum & voluntatum copulationem intellige; nam ad vinculum matrimonii præter consensum nihil desideratur: juxta tritum illud, Nuptias non concubitus, sed consensus facit *l. 32. §. 12. ff. de don. int. vir. & uxor. l. 30. de R. I.* Unde intelligimus, quid judicandum de illorum sententia; qui solennem illam deductionem in domum mariti;

titi, aut nuptiarum festivitatem de substantia matrimonii esse volunt, quod affirmare per quam absurdum est.

VII.

Additur porro *individuam vitæ consuetudinem continens*. Hisce verbis rerum omnium ac corporum utriusque conjugis communicatio indicatur: usus enim omnium rerum debet esse promiscuus; unde à Modestino in *I. i. de Ritu nupt.* *Consortium omnis vitæ, divini ac humani juris communicatio* dicitur, quæ conjunctio semper perpetua ac individua; tum quod dividi non potest: quod enim Deus coniunxit, homo ne separet *Matth. 19.* tum quod eo animo ac voto nuptiæ ineuntur, ut nunquam dissolvantur.

VIII.

Ut Nuptiæ legitimæ ac justæ dicantur, hæc tria requiruntur *Civitas*, *ætas*, ac *consensus*, quibus & quartum hodie addi potest ex jure harum regionum ac pia consuetudine; puta solennis illa post trinam promulgationem in Ecclesiâ nuptiarum benedictio.

IX.

Primum itaque quod requiritur est *Civitas*: contrahentes enim debent esse *Cives Romani*, homines liberi, unde servi non matrimonium, sed contubernium contrahere dicuntur *I.3.C. de incest. & inut. nupt.* nam quod ad jus Civile attinet, servi pro nullis habentur *I.32. ff. de R.I.* Hinc servorum conjuges dicuntur *contubernalis* *I.2. §.33. ff. de instruct. vel instrument. legat.* Ex eo quoque est, quod cum deportatis & peregrinis connubium non est, quia non sunt *Cives Romani*.

X.

X.

Alterum requisitum est ætas, nimirum, ut contrahentes sint puberes. Mares incipiunt pubescere post annum 14. fæminæ vero biennio maturius, nempe post annum 12. impletum *l. 4 ff. b. tit.* illa enim ætate mares ut plurimum sunt puberes, & fæminæ viri potentes seu nubiles *l. ult. C. quand. Tut. vel Cur. esse definit.* Canones vero pubertatem non ex annorum numero, sed ex corporis habitu, generandique potentia æstimant *Cap. puberes §. fin. de sponsal. impub.* propterea, quod compertum fuit, non solum fæminas ante præscriptum tempus peperisse, verum etiam mares ante annum 14. liberos genuisse. In sponsalibus ætas definita non est; quapropter & à primordio ætatis sponsalia effici possunt, modo utraque persona sit infante major. *l. 41. ff. de sponsal.*

X I.

Ultimum requisitum, quod est de substantia & veluti causa efficiens matrimonii, est consensus, tum contrahentium; ne inter invitos nuptiæ ineantur; ideoque liber hic consensus esse debet. *l. 21. ff. b. tit.* & omnis metus ac coæctionis expers: tum parentum, seu eorum quorum in potestate sunt *l. 2. b. tit.* nam hoc fieri debere (justineanus inquit) Civilis & naturalis ratio suadet. Naturalis ratio consistit in reverentia ac honore, jure naturæ parentibus à liberis debito. Civilis posita est in patria potestate, tum quoque ne parentibus invitis suus heres agnascatur. *l. 12. §. 3. ff. de Capt. ac postlim. revers.*

X.

XII.

X I I.

Et hic iussus seu consensus ita est necessarius, ut & præcedere debeat. *pr. inst. de nupt.* neque nuptiæ sine patris consensu initæ ratihabitione ejus retro legitimæ fiant; quia ratihabitio in iis tantum locum habet, quæ aliquo modo subsistunt ac pendent, non quæ statim ipso jure nulla sunt; sed ex eo demum tempore justæ intelliguntur; ex quo eas ratas habuit parens. *l. 65. §. 1. b. tit. l. 6. C. eod.*

X I I I.

Unde si filius sine consensu patris nuptias contraxerit, nec vir, nec uxor, nec matrimonium, nec dos intelligitur, sed ii, qui ex eo coitu nascuntur, pro spuriis habentur. *§. pen. nst. de nupt.* Si tamen, oblata liberis honesta conditione, pater sine causa nolit concedere matrimonium, vel dotem dare; per Magistratum cogi potest in matrimonium collocare & dotare. *l. 19. ff. b. tit.*

X I V.

Sed non refert, utrum consensus parentum sit expressus, an vero tacitus; nam qui non contradicit, consentire videatur. *l. 7. §. 1. de spons. l. 5. C. de Nupt.*

X V.

Hæc si interixerint, Nuptiæ justæ ac legitimæ esse censentur, dummodo inter eas personas contractæ sint; inter quas nuptiæ consistere possunt; nam prohibentur quædam personæ vel natura, vel legibus. Natura prohibentur

B

vel

DISPUTATIO JURIDICA

vel ob defectum mentis, quales sunt furiosi. l. 8. ff. de
de spons. vel ob corporis vitium, ut castrati.

X V I.

Legibus prohibentur, quibus propinquitas cognationis, vel affinitatis impedimento est. Est autem necessitudo orta ex proximitate sanguinis inter eos, qui ex communi quodam stipite descendunt. In linea recta cognationis prohibita sunt nuptiae inter adscendentias ac descendentias h. e. inter parentes ac liberos, & quidem in infinitum. l. 53. § fin. ff. de ritu nuptiarum. Nec refert utrum per naturam, an per adoptionem tales invicem sibi facti sint; & hoc adeo, ut dissoluta adoptione nihilominus idem juris maneat; quia in nuptiis etiam pudoris & reverentiae ratio habetur. l. 14. §. 2. ff. b. tit. Patris enim persona tam sancta ac reverenda libertas esse; ut ad impediendas nuptias sufficiat, aliquando patrem fuisse. In linea transversa æquali uno tantum gradu interdictio determinata est, ut inter fratres & forores; & has etiam nuptias à Deo interdictas non uno loco reperimus levit. 18. § 9. § 20. Deut. 17. vers. 10. Ex quibus evincitur, prohibitionem hanc esse moralem, naturalemque causam prohibitionis continere. In linea transversa inæquali, inter eas personas, quæ sibi invicem parentum liberorum loco sunt, ut inter fratres & foros liberos &c.

X V I I.

Affinitas est necessitudo ex nuptiis contracta inter cónjugem, & alterius conjugis cognatos; nam utriusque conjugis cognati inter se affines non sunt; affinitatis proprie nulli dantur gradus; quia affinis ab affine non generatur. l. 4. §. 1.

§. 1. ff. de grad. affin. nil tamen impedit, quo minus quasi quosdam affinium gradus numeremus; ut Paulus in. l. 10. d. tit. dicamusque quo gradu quispiam est cognatus marito, eodem gradu esse affinem uxori & quasi cognatum; & contra.

XVIII.

Unde Nuptiae non admittuntur inter affines, qui sibi invicem parentum liberorumve loco sunt: quæ prohibito durat, etiamsi alterius conjugis morte affinitas sit extinta l. 15. ff. de ritu Nupt. Hinc sacer & nurus, socrus & gener, vitricus & privigna, noverca & privignus; aliique ulteriores matrimonio jungi nequeunt l. 14. §. 4. l. 40. ff. h. tit. l. 16. ff. solut. matr. & passim alibi. Quin etiam qui affinitate sibi invicem sunt loco fatrum ac sororum matrimonium non recte ineunt l. 17. C. hoc. tit.

XIX.

Sunt & aliæ personæ, quæ diversas ob causas nuptias contrahere prohibentur, quales sunt Præsides, vel qui officium in provincia administrant; hi enim non poterant uxorem ducere provincialem l. 38. l. 57. ff. h. tit. Lege quoque Julia vetatur Senator ducere libertinam, aut quæ ipsa, cuiusve pater vel mater artem ludricam fecerit l. 44. hoc tit. Item libertinus ducere non potest senatoris filiam l. 44. §. h. tit. Porro nec tutor vel curator eorumque liberi cum pupilla vel adulta nuptias contrahere poterant, ne hoc modo rationum redditio intervertatur l. 36. cum seq. l. 59. & seq. h. tit. Denique nec raptam nubere raptor, nec adulteram adultero fas erat; ne juvenes spe matrimonii inducerentur ad rapinam ac adulteria.

X X.

Finis contracti matrimonii principalis est 1. liberorum procreatio, per quam diuturnitatis memoriam in ævum relinquimus l. 220. §. fin. de V.S. 2. mutuum adjutorium, ut homo omnium laborum ac periculorum sociam habeat gen. 2. v. 18. 3. ut vitentur vagæ libidines, stupra & adulteria.

COROLLARIA.

I.

Maritus est Dominus dotis, non vero uxor.

I I.

Usufructus cedendo extraneo non finitur.

I I I.

Inviti adolescentes curatores non accipiunt.

F I N I S.